

1438 liqui se pro hostibus , quia nulla sibi fides haberetur ,  
 judicatos crederent : molituros eos res novas , ac pa-  
 lam in adversæ factionis invidiam omnia ausuros . Va-  
 luit viri auctoritas : atque ita , eo volente , comparatum  
 est , ut Veneti magistratus qui in urbe erant , por-  
 tarum custodiam haberent : Martinengios ad hæc &  
 Advocatos , principes factionum , nova affinitate jun-  
 xit . In quo negocio Paridem Ludronium castella in  
 Brixianis montibus habentem Petro Advocato , cum quo  
 maximas exercuerat inimicitias , per Leonardum Mar-  
 tinengium magno Reipublicæ commodo reconciliavit .  
 Constituit Picinus lacu Benaco & Mincio amne Mel-  
 litanas copias omni Veneto præsidio excludere : qui-  
 bus fame domitis ( constabat enim non esse unde ali  
 possent , nisi ex urbe commeatus mitterentur ) non  
 dubium erat , quin de Veneto actum esset imperio . Eo  
 itaque consilio bifariam movit . Gonzaga & Lodovicus  
 Vermius in Veronensem agrum eruperunt , Vallegioque  
 cum ponte qui fluvio incubat , pene prius proditione  
 recepto , quam venisse dicerentur , quicquid intra Athe-  
 sim & Mincium locorum est , pauçis diebus occupa-  
 runt . Subita Vallegii amissio effecit , ut Joannes Ma-  
 lavolta , qui trecentos equites ex Brixia Veronam du-  
 cebat , imprudens circa pontem in hostes præcipitatus ,  
 toto fit equitatu exutus . Redegit & omnes Benaci ac-  
 colas , qui ad Veronensem agrum attinent , in suam  
 potestatem Mantuanus Princeps , Piscariam ad Minci  
 caput , & Lunatum in montibus , quod prius possede-  
 rat . Est Benacus ( ut de eo pauca dicam ) amoenissi-  
 mus Italiæ lacus , omnino longior , quam latus . Lon-  
 gitudo illa ab occasu brumali ad aquilonem triginta  
 circiter millia passuum excurrens : quantum illi Min-  
 cius ad meridiem aufert , tantum Sarca fluvius & Po-  
 nalis a borea & septentrione reponunt . Ipsius aqua  
 ita perspicua , ut si non omnino medium naviges ( ubi  
 constat immensæ esse altitudinis ) ima fere stagna perspi-  
 cere liceat . Sed vix tam amœnus est , dum nullo  
 agi .

*Benaci la-  
cus descri-  
ptio.*